



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

140. An liceat privatas orationes, & bona opera pro excommunicatis
offerre? Sed difficultas est, an Sacerdos possit orare pro excommunicatis
in Memento Missæ, etiam si sint denunciati? Et circa ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

hominem incapacem ejus effectus. Alias sequeretur posse Sacerdotem Sacrificium applicare pro excommunicato peccatore, qui non ~~consecratur~~, & non solum pro excommunicato in statu justitiae, & poenitentiae, quod est contra communem sensum Doctorum: hac omnia docet Turrianus lib. 2. disput. 9. dub. 2. & Cornejo in 3. part. tract. 5. de excommunicatione, disput. 10. § 3. dub. 2.

2. Verum his non obstantibus affirmativam sententiam tenet ex multis novissime Philippus Faber de cens. 4. sent. dist. 25. q. 1. disp. 4. cap. 4. § 148. ubi sic ait: Ex eodem fundamento videtur esse respondendum ad dubium de oblatione Missae pro hujusmodi excommunicato contrito, videtur enim dicendum primo quod Sacerdos offerens Missam pro tali excommunicato, non peccet mortaliter, nec venialiter, quia non est prohibitum hoc modo offerre Missam pro excommunicato tali, quia si hac prohibitio adesset, maxime haberetur ex praedictis ex c. a nobis 2. & c. sacris. At in eis non habetur talis prohibitio, sed solum habetur ibi quod in casu particulari, quo aliquis excommunicatus poenitens deferretur ad Pastorem Ecclesiae, non habet pro eo orationes, & sacrificium facere priusquam absolverit, sed debere eum prius absolvere: at in generali non habetur quod non possit offerri sacrificium pro excommunicato sic poenitente, quando absolutio ab Ecclesia ei conferri non potest, ut diximus. Et hoc videntur dicere illi auctores, qui asserunt non posse publice nominatum, sed solum secrete pro tali excommunicato Missam offerri: si enim pro tali delato ad Ecclesiam orationes & Missa celebraretur, celebraretur publice nominatum pro excommunicato quod prohibetur ab Ecclesia; nominatum autem, sed secrete non prohibetur. Secundo videtur dicendum quod hujusmodi sacrificium valeat & proficiat ipsi excommunicato poenitenti, si Sacerdos offerat in persona Christi, quod concedit Suarez, si in persona Ecclesiae, seu ut particularis persona, quod negat Suarez. Ratio est, quia Ecclesia non intendit hunc poenitentem excludere ab his suffragiis, sed solum contumacem, neque ipse ut particularis persona peccat, sed opus bonum, & recte facit, ideo ut est ab illo, ut etiam est particularis persona valet, & ei prodest. Ita Faber ubi supra; unde puto tam negativam, quam affirmativam sententiam satis probabilem esse.

RESOL. CXL.

An liceat privatas Orationes, & bona opera pro excommunicatis offerre?

Sed difficultas est, an Sacerdos possit orare pro excommunicatis in Memento Missae, etiam si sint denunciati? Et circa Orationes privatas pro excommunicatis, alij etiam casus notantur, & explanantur. Ex part. 5. tract. 9. Resol. 77.

§. 1. **N**egativam sententiam (attendas quae amice Lector) tanquam probabilem docet Philippus Faber de cens. in 4. sent. dist. 25. disp. 4. cap. 4. dub. 151. ubi sic ait: Aliqui Doctores Catholici tenent excommunicatum privari nedum communibus & publicis, suffragiis, & orationibus Ecclesiae, sed etiam privatis, & particularibus, atque hujus opinionis fuit Latomus art. 7. contra Lutherum, ut refert Suarez ubi supra. Ego quidem opinioni communi me opponere nolo, tamen probabiliter mihi videtur posse dici excommunicatum etiam esse privatum fructu suffragiorum, & orationum particularium. Ratio, est quia in sacris Canonibus habemus excommunicatum esse ejectum extra Ecclesiam, esse privatum communione fidelium: at in communione fidelium, quae explicatur

in Symbolo, nedum includuntur bona, orationes, & suffragia communia Ecclesiae, quae scilicet a Ministris publicis Ecclesiae sunt in sacrificiis, & sacris orationibus, sed omnes orationes, & opera pia, quae sunt ab unoquoque fidei privatim, ut sunt jejunia, macerationes, peregrinationes, & similia, neque enim negandum est fideles omnes his juvari, siquidem habemus in sacra Scriptura quod propter decem justos Deus parit integris civitatibus. Cum ergo haec bona pertineant ad communionem fidelium, mihi videtur excommunicatum privari fructu istorum quoque. Accedit quod Christus instituit & significans efficaciam excommunicationis dedit exemplum, si ubi tanquam Ethnicus & publicanus; at certum est, quod Ethnicus & infideli non gaudent fructu orationum & precum particularium fidelium. Ergo neque excommunicatus. Tertiò vel orationes private juvant fideles ad satisfactionem pro eorum peccatis, vel ad impetrandum eis aliquod bonum spirituale & temporale in ordine ad spirituale. At excommunicatus contra max non est capax alicujus istorum bonorum, quia pro ipso non potest satisfacere cum sit in peccato, & inobediens. Neque est capax bonorum spiritualium, vel temporalium in ordine ad spiritualia, quia Ecclesia intendit directè privare illum hujusmodi bonis, cum illum tradat Satanæ in poenam suae contumaciae. Quod si quis dicat, profunt ad resipiscendum. Respondendo quod hoc modo etiam profunt fidelibus peccatoribus non excommunicatis, sed unitis Ecclesiae, at Ecclesia intendit privare eum omnibus bonis, quibus fideles existentes in communione sua fruantur. Ergo cum illum excludat à sua communione, intendit etiam illum privare hujusmodi bonis & fructibus. Quarto auctores contrariae sententiae non adducunt aliquem Canonem, vel aliquam auctoritatem Sanctorum qui hanc distinctionem faciant de oratione publica, & non privata, ut videre est. Unde cum communiter dicatur excommunicatum privari communione fidelium, ejici extra Ecclesiam, tradi Satanæ, convenientius exponitur de exclusionis à quocumque bono Ecclesiae tam publico, quam privato, quam à solo publico; hoc tamen probabiliter sit dictum; quia est contra opinionem communem. Unde Suarez ipse ubi supra contra Latomum disputans, rationes quidem rejicit, de opinione autem sua inquit: Quidquid sit de assertionem, rationes ejus non sunt magni momenti; judicavit ergo illam probabilem.

2. Verum his non obstantibus affirmativam sententiam docent communiter DD. Durandus in 4. dist. 15. quest. 3. Gabriel q. 2. dub. 1. Palodanus q. 1. art. 1. Richardus art. 7. quest. 2. & ideo observat Cornejo in 3. part. tract. 5. de excomm. disput. 10. § 3. dub. 3. hanc non esse communicationem prohibitam ex vi censura, imò neque, proprie loquendo, esse communicationem in bonis spiritualibus, aut adum amicitiae, benevolentiae, sed esse actum misericordiae & eleemosynae spiritualis, quae ex propriis bonis licita est, sicut etiam elemosyna excommunicato facta. Vide etiam Mercetum de Sacramento, in 3. part. quest. 21. dub. 3. & alios.

3. Sed difficultas est, an Sacerdos possit orare pro excommunicatis in Memento Missae & negativam sententiam docet Ledesma in 2. part. 4. q. 22. art. 1. Medina in summa lib. 1. c. 11. § 1. & Avila part. 2. c. 6. disp. 9. dub. 5. in fine. Sed mihi placet opinio affirmativa, quia licet tunc Sacerdos sit publicus Ecclesiae minister, ferens personam privatam, ut non possit ex propria sua intentione & nomine orare pro quocumque velit, simul cum oratione nomine Ecclesiae facta, imò & ipsas easdem orationes communes & suffragia, quae nomine Ecclesiae offert pro non excommunicatis, potest simul nomine suo pro aliquo particulari & excommunicato

municato offerre, dummodo id actu mentali faciat, non nominando illum exterius, & ita docet Hurtado *diff. 3. de excomm. difficult. 6. num. 15.* Gordonus *in summa tom. 2. lib. 7. quest. 8. cap. 1. §. 5. mon. 19.* & Cornejo *ubi supra*, licet quoad hoc ultimum, nempe posse Sacerdotem orare pro excommunicatis in orationibus publicis Missa non nominando illos, Turrianus *lib. 2. diff. 9. dub. 2.* dissentiatur, cum oratio illa fiat nomine totius Ecclesie, unde si de illa formaliter loquamur, putat non esse verum quod dicit Gordonus & Cornejo, quod si loquuntur de intentione privata concomitante, verum asserant. Sed quicquid sit de hoc, recte ex supradictis Filiucius *tom. 1. tract. 12. cap. 2. num. 51.* infert: Primum licere Sacerdoti ut est privata persona orare pro excommunicato, vel in *Memento*, vel in aliis partibus Missa occulte & secrete, etiam si excommunicatus esset denunciatus, quia etiam si Missa sit publicum suffragium, & Sacerdos exerceat publicum ministerium, tamen non definit esse privata persona, & potest simul etiam privatim orare, non tamen offerre Missam pro excommunicato, nec nominare illum in Canone, aut alia oratione publica.

4. Infertur secundò licere Sacerdoti, dum publice orat in persona Ecclesie, simul etiam intentione privata orare pro excommunicato, & facere pro eo eandem petitionem, dummodo exterius illum non nominet.

5. Infertur tertio licere Sacerdoti totum pium opus dicendi Missam, vel Officium divinum, quatenus est proprium, per quod habet suum meritum, & satisfactionem, vel impetrationem ex opere operantis offerre pro excommunicato privata intentione. Ratio est, quia hoc modo illud opus aliàs publicum fit privatim, & de hoc nulla facta est prohibitio, quod non possit offerri pro excommunicato.

6. Nota, hic etiam Hurtado docet *diff. 3. de excomm. difficult. 6. num. 16.* celebrantem posse pro excommunicatis etiam non toleratis offerre actionem ipsam celebrandi quoad valorem privatim ipsi celebranti correspondentem, quia verè est privatus & particularis.

RESOL. CXLI.

An declaratus per cedulones incurrisse in aliquam excommunicationem, si intra terminum appellavit, possit liberè cum omnibus communicare?

Idem est de recusatione iudicis excommunicantis.

Et notatur appellacionem legitimam, id est, ex rationabili causa factam antequam iudex ferat excommunicationem ipso facto ob peccatum factum impedire excommunicationis majoris incursum. Ex part. 3. tract. 9. Resol. 30.

Hic casus potest facile occurrere, & responsio est affirmativa, quam tuetur novissimè Marcellus Vulpè in praxi judiciali fori Ecclesiastici, cap. 1. n. 5. & ante illum Genuensis in praxi Archiep. cap. 22. n. 1. omnino videndus: quibus adde Cenedum in Can. 99. q. 45. n. 45. Humada in leg. 21. tit. 9. p. 1. glof. 1. n. 10. & glof. 5. n. 2. Ioannem Valerium in differ. utr. fori, verb. excomm. differ. 16. n. 2. Megalium in 3. p. lib. 3. q. 1. cap. 2. n. 7. Bonacinam de cens. disp. 1. q. 2. punct. 2. n. 8. Gordonum in sum. 10. 2. lib. 7. q. 3. c. 5. n. 31. Barriolam in Aphor. lit. E. verb. excomm. §. 8. Hugolinum de cens. tab. 1. c. 21. n. 10. & ex Theologis Avila de censuris p. 2. c. 5. disp. 5. dub. 11. concl. 2. ubi sic asserit: Appellatio suspendit declarationem excommunicationis, v. g. Iudex declarat me incurrisse excommunicationem latam ab homine, vel à jure; ego appello à declaratione, alle-

Tom. V.

gans quod non feci id, propter quod erat imposita excommunicatio, vel quod factum est dubium, talis appellatio suspendit declarationem; sic glossa recepta, c. punientes, §. quod si per viginti, verb. privatus, de elect. in 6. Angel. verb. appellatio §. 8. Navarr. §. consil. de sent. excomm. consil. 12. & consil. 20. n. 5. Vnde talis denunciatus non est vitandus post appellationem. Sic Navarr. consil. 12. addit Navarr. consil. 20. quod licet à facto vero notorio non possit appellari, tamen à sententia iudicis declarantis factum esse notorium, potest appellari, quia iudex posset hoc injustè declarasse. Hæc Avila loco cit. & eadem Hurtado de excomm. disp. 13. diff. 4. ait: Appellatio à sententia declaratoria excommunicationis non solum devolvit causam ad Superiorem, sed etiam suspendit eam sententiam, quia sententia declaratoria non secum trahit executionem. Id autem quod dictum est de appellatione, dicendum etiam est de recusatione iudicis excommunicantis, quia eadem est ratio.

2. Notandum est etiam à fortiori appellationem legitimam (id est, ex rationabili causa) factam antequam iudex absolute ferat excommunicationem ipso facto ob peccatum factum, impedire incursum excommunicationis majoris (nisi quando iudici concessum est, ut non obstante appellatione procedat in causa) ut constat ex cap. pastoralis, 53. de appell. in 6. quia, ut dicitur in hoc cap. per appellationem à puncto appellationis eximitur quis quoad eum articulum à potestate iudicis, & ejus potestas dormitat, & ut dicitur in cap. si à iudice 10. eod. tit. ejus jurisdictio suspenditur, ergo ratio excommunicationis post appellationem facta est nulla, vtpotè facta à non iudice, seu à iudice suspenso, & dormitante.

RESOL. CXLI.

An quis legendi inscriptionem, seu titulum libri alicujus heretici incidat in censuram Bullæ Cæne?

Et quid, si legit Indicem, Præludia, Operis intentionem, Epistolam ad Lectorem, & his similia?

Et an, in hoc detur parvas materia?

Et quid est dicendum de legentibus, unam epistolam hominis heretici, heresin continentem?

Et notatur non ligari hac censura legentem, retinentem, aut imprimentem epistolam, aut concionem, aut aliam papyrum heretici solutam, & non in tractatus, aut formam libri continuam?

Et an si heresis una, vel altera, qua continebatur in libro, penitus inveniat abrasa, aut ea folia detracta, dicendum sit ex ejus lectione non contrahi excommunicationem?

Et an ex pluribus ejusdem operis voluminibus possit legi, in quo heresis non reperitur?

Et an, si liber unius voluminis in duo redigatur, alter illorum, in quo heresis non sit, legi possit? Ex part. 10. tract. 12. & Misc. 2. Ref. 48. aliàs 47.

Affirmativam sententiam docet Dominicus Pueronius in Comment. ad Bull. Cæne, cap. 1. §. Ac eorundem libros, numero 184. ubi sic ait: Itaque ratione periculi, immo & odij, quod adversus Hæreticos hac inhibitione intenditur, convenit inter omnes, nec in ea parte ubi scitur hæresim non esse, nec de Religione tractari, posse legi. Quia qui librum prohibet, singulas etiam partes prohibere censetur, argum. cap. in tit. de Regul. iur. in 6. l. Iuliams, ff. de leg. 3. Potiori jure nec fas erit legere Indicem, Præludia, Operis intentionem, Epistolam ad Lectores, & his similia; quia in his summatis Auctores, ea de quibus fusius agunt, proponunt, ac insinuant. Quibus adderem & Titulum; tum quia in eo forma totius operis inspicitur, tum quia inibi solet opus

H cele